DE HERCULIS ITINERIBUS VERSUS OCCIDENTEM.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

UT

SUMMI IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXXI. MENSIS MARTII A. MDCCCLXII.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

ALEX. DEUSTERMANN,

RHENANUS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

VIRO

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO

JOS. ROSPATT

PHILOSOPHIAE DOCTORI, HISTORIAE PROFESSORI

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO

D. D. D.

HUNC LIBELLUM

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Quum de Hercule Graecorum poetae et historiae auctores tot tamque varias fabulas tradiderint, ut si quis omnes complecti et exponere vellet, Herculeum quasi laborem susciperet, satis grave onus mihi videor subiisse, ut ceteris de Hercule fabulis omissis abactos Geryonis boves et mala Hesperidum ablata exponerem et, quantum in me est, interpretarer. At si quis, cur eos potissimum Herculis labores explicandos elegerim, ex me quaerat, in iis omnem fere propriam numinis Herculis vim indolemque inesse ratus sum, quibus recte explanatis multas rationes Herculis et physicas et historicas et ethicas patere puto. Non me fugit, multos viros doctos in eo laborasse ut propriam Herculis numinis vim sensumque fabula reconditum interpretarentur. Quorum quidem sententiae ita variae sunt ac saepe ita inter se pugnant, ut perdifficile sit certam ex iis fabularum enucleandarum rationem percipere. Nam ut eorum, qui de Hercule scripserunt, aetates se exceperunt, ita sui quisque temporis opiniones aut secutus est aut novas proposuit aut sua cum iis quae priores excogitaverant coniunxit. Itaque operae pretium me facturum esse spero, si quaecumque de hac re in utramque partem disputata

sunt inter se contulero simulque ea adiecero, quae, quantulacunque sunt, nova invenisse mihi videor. Nam quum Mommsenius Röm. Gesch. I. p. 9. dicat, neglecta fabularum inutili farragine solam comparandarum linguarum artem adhibendam esse in pervestigandis iis, quae ab antiquis populis gesta propter temporum vetustatem certa historiae fide non servata sunt, fabulas parum mihi aestimasse videtur. In Herculis enim fabulis tam varias reconditas esse constat historicas rationes ut appareat explanatis iis magnum ei doctrinae adiumentum afferri, quae in investigandis veterum populorum originibus ac primordiis versatur. Quae quidem res quo magis in aperto sit, paullo attentius ea tractanda esse puto quae veteres scriptores de Herculis fabulis memoriae tradiderint, ut appareat, quid sit genuinum nativaque quadam et rudi res considerandi ratione ortum, quid sit foris adlatum et mera poetarum confictio. Itaque hoc erit argumentum, ut primum, quae Graecorum scriptores inde ab Homero usque ad Apollodorum de abactis Geryonis bubus et Hesperidum malis ablatis tradiderint, afferantur, deinde genuina et nativa ab advectis et fictis secernantur, denique breviter enarratis iis quae in explicandis fabulis viri docti elaboraverunt, quae in explanandis fabulis opinio mihi probata sit, exponatur. Sed ne pluribus locis virorum doctorum libri mihi citandi sint, paucis quos libros consulendos esse putavi, hic afferam. Sunt autem hi:

Heynii observationes criticae ad Apollodorum.

Creuzeri Symbolik und Mythologie der alten Völker.

Baurii Symbolik und Mythologie sämmtlicher Völker des Alterthums.

Moversii Phoenicier.

O. Mülleri Geschichte der griechischen Stämme. Dorer.

Vogelii Hercules secundum Graecorum poetas descriptus.

Schoemanni Griechische Alterthümer.

Curtii Griechische Geschichte.

Prelleri Griechische Mythologie.

Quos praeterea libros consului, eos suo loco afferam.

I.

Ut Aratus ab Iove incipiendum esse putat, ita nos rite ab Homero coepturi esse videremur, nisi multa quidem legerentur in carminibus eius divinis de Hercule, de Geryone vero deque Hesperidum malis nihil. Quare ad Hesiodum transeamus. In Theogonia narratur, Geryonem tricipitem Chrysaoris et Calirrhoae filium ab Hercule Erythia in insula necatum esse eiusque armenta Orthro cane et Eurytione bubulco necatis Oceanum traiecta et Tirynthem abducta esse. 287—294. 978—982. In eodem libro traditur Cetus et Phorcynis subolem esse ingentem serpentem, qui in obscurae terrae latibulis aurea mala custodiat. v. 333—335. Noctis filias esse Hesperides, quae aureorum pomorum trans inclytum oceanum custodes sint. 225. Gorgones habitare trans inclytum oceanum, ubi Hesperides canorae sedes habuerint. 274. Hesiodus dixisse fertur Ladonem serpentem, quem Pisander terra editum esse narraverit, Typhonis esse filium. Schol. ad Apoll. IV. 1396. Iam vero Atlantem coelum ingens tenere vi coactum in terrae finibus Hesperidibus canoris praepositum Theog. 517, aquilam Promethei iecur devorantem ab Hercule sagittis percussam esse Theog. 527, quae in Apollodori narratione cum expeditione ad Hesperides suscepta coniunguntur, Hesiodus ita affert, ut non appareat utrum artiorem eorum connexum no-

verit necne. Ut omittam Demodocum et Cinaethonem Lacones aliosque qui Herculem carminibus celebrasse feruntur, quum non appareat utrum de Geryonis armentis et Hesperidum malis scripserint necne, heroici carminis auctor insignis est Pisander Camiraeus, quem quidem poetam Herculis res celebrantem laudat Quintilianus inst. or. X, 1, 56. Teste Athenaeo poculum quo Hercules Oceanum transvectus esset, Solis poculum fuisse idque ab Oceano Herculem accepisse in altero carminis libro narraverat. Athen. XI, 469. Herculis etiam cum Antaeo certamen singulare Pisandrum narrasse consentaneum est, quum afferatur Antaei filiam a Pisandro nominatam esse Alceidam, ab aliis Barcam. Schol. Pind. Pyth. IX, 185. Ex lyricis poetis quum Archilochus, Tyrtaeus, Alcaeus, Simonides Ceus in carminibus suis res ab Hercule gestas mire ornasse tradantur, num in Geryonem et Hesperides expeditiones celebraverint, e fragmentis perspici non potest. Stesichorus vero Himeraeus carmen condidit, quo heroici carminis res numero lyrico complexus Herculis in Geryonem profectionem copiosissime celebravit. Strabo III. p. 221. Quo ex carmine, cui nomen erat Geryonidi, haec afferuntur: Solem Stesichorus poculo per Oceanum navigare tradidit eoque ipso Herculem, quum ad Geryonis boves contenderet, traiecisse. Athen. XI, 781. Accedit fragmentum ipsius poetae verbis ab Athenaeo XI, 469 traditum, cuius haec fere sunt verba: Sol (postquam Hercules poculum reddidit) in hoc poculum aureum descendit, ut per Oceanum ad sacrae et obscurae Noctis profundas sedes, ad matrem, coniugem liberosque rediret; Iovis autem filius nemus lauris opacum pedibus petivit. Apud Schol. ad Hes. Theog. 287. reperitur, Stesichorum Geryoni sex manus sexque pedes, praeterea pennas tribuisse. Atque Strabo affert III, 321. Stesichorum Geryonis armenta nata dixisse ad Tartessi fluminis immensos fontes *ἀργυρορίζους*, in faucibus saxosis prope eos locos, qui sint adversi inclytae Eurythiae.

Pindarus quum popularem suum Herculem multis in locis laudibus extollat, Geryonis quoque mentionem facit. Herculem quondam Geryonis canes ferocissimi horruerunt. Boeckh. Isthm. I, 15. Columnas Hercules divinus heros extremae navigationis monumenta posuit, pelagi monstra domuit, vadorum fluctus indagavit terramque exploravit. Nem. III. 38—45. Thebis Cadmeis quondam profectus est Hercules in Libyam triticiferam, ut Antaeum, qui ex peregrinantium capitibus abscissis Neptuno aedem exstruere parabat, coerceret. Isthm. IV. 90, 93. Panyasim Halicarnasseum, quum Heracleam XIV. libros continentem scripserit, consentaneum est expeditiones illas occasum versus susceptas uberrime illustrasse. Supersunt haec: Accepisse Herculem Solis phialam eaque Erythiam transnavigasse. Ath. XI, 469. Solis boum custodem fuisse Phylaceum. Schol. Hom. Od. μ. 301. Solem ipsamque Iunonem ab Hercule telis esse petitos. Clem. Alex. Protr. 2, 36. Porro de Aegyptiorum more homines immolandi egerat et multa bellaria multasque pullas volucres victimis impositas esse scripserat, Athen. IV. 172.

Absolutis poetis restat ut quae historiae auctores de Geryone et Hesperidibus tradiderint, exponanatur. Hecataeus Milesius logographus Geryonem non ad Iberorum locos pertinere scripsit neque ad ullam insulam Erythiam extra Occanum Herculem missum esse, sed continentis terrae, quae circa Ambraciam et Amphilochos est, Geryonem regem fuisse, et ex ea Herculem, qui vel huius periculi gravitatem sentiret, boves illos abegisse. Arrh. II. 16. Dionysius Milesius, Scyllam ab Hercule quum a Geryone rediret interfectam esse, sed a Phorcyne patre igne ad vitam esse revocatam tradidit. Schol. vulg. ad Hom. Od. μ. 85. Hellanicum Lesbium de Herculis adversus Geryonem profectione vel potius eius inde reditione sic scripsisse memoriae traditum est: Herculem Geryonis boves Argos abigentem, quum in Italia iuvencus ex

grege aufugisset, et per fretum in Siciliam traiecisset, regionis incolas num quis illum vidisset, assidue rogitasse. Qui quum linguam Graecam parum novissent, et iuvencum quem a se quaeri sentirent, suo sermone vitulum appellassent, totam illam regionem quam iuvencus percucurrisset, ab Hercule Vitaliam appellatam esse. Dion. Hal. Ant. Rom. I, p. 28. Pherecydes Lerius, Horodoti fere aequalis, quum Atticas potissimum fabulas scriberet, Herculis res copiose tractasse videtur. Nobis servata haec sunt: Herculem arcum intensum tamquam petere vellet in illum (Solem) direxisse, quo incepto desistere a Sole iussum destitisse. Cuius obsequii gratia Solem ei dedisse pateram auream, qua, postquam occidisset, cum equis noctu per Oceanum ad orientem versus veheretur. Herculem illa patera Erythiam contendisse. At quum in mari agitaret, Oceanum, ut eius virtutem experiretur, in fluctibus sese iactasse, sed Herculis directo in se arcu deterritum ut tela omitteret, rogasse. Athen. XI, 470. Iam vero quae de Hesperidum malis scripsit, ex iis haec fere nobis servata sunt: Terram quum Iovi Iuno nuberet, in Oceano, (scil. in insula Oceani) mala aurea ex sese edidisse, quae serpens Typhone et Echidna procreatus centiceps et vocum varietate insignis custodiret. Atque Nymphas Iovis et Themidis filias in specu prope Eridanum habitantes Herculi quomodo rem perficeret incerto consilium dedisse ut a Nereo disceret, ubi illa mala aurea essent. Nereum vi comprehensum primum in aquam atque ignem se convertisse, tum facie pristina recepta locum indicasse. Schol. ad Apoll. IV, 1396. Quae sequuntur apud Scholiastam, quamquam in rectam orationem conversa sunt, tamen nihilo minus Pherecydis esse Vogelio assentior, quod cum reliquis fragmentis quae infra adferuntur, congruunt. Hercules ad aurea mala sic penetravit: Tartessum quum venisset, in Libyam discessit, ubi Antaeum, Neptuni impium filium, sustulit. Tum usque ad Nilum progressus Memphim

ad Busirim Neptuni filium venit, quem interfecit; item filium eius Iphidamantem et Chalben praeconem et rerum sacrarum famulos ad Iovis aram, ubi hospites mactabant, exstinxit. Post haec Thebas venit et per montes profectus in Libyam exteriorem in desertis multas bestias arcu confecit, Libyaque hoc modo vacuefacta ad mare exterius contendit. Atque a Sole nactus auream phialam eaque per mare vastum et per Oceanum vectus Pergen in Asia ora sitam appulit. Iamque ad Prometheum accessit et ab eo conspectus precibusque eius fatigatus aquilam quae miseri viri iecur devorabat, advolantem sagittis percussit. Cuius beneficii gratia Prometheus ei ne ipse ad mala proficisceretur, sed Atlantem adiret, hunc mala ab Hesperidibus afferre iuberet, ipse coelum interea sustineret, suasit. Hercules quum ad Atlantem venisset, ut praeceptum erat laborem susceptum eum edocet, tria mala sibi deposcit. Atlas coelo Herculis humeris imposito Hesperides adit malisque captis ad Herculem reversus semet ipsum mala ad Eurystheum perlaturum affirmat coeli molem recusat. Hercules se onus sustenturum pollicitus, fraude quam Prometheus ministraverat, e discrimine se expedivit. Persuasit enim illi, ut coelum reciperet, quoad torum super caput sibi fecisset. Quo Atlas permotus depositis humi malis coelum recepit. Hercules malis susceptis Mycenas revertit et Eurystheo mala monstravit. Addamus reliquias ab Eratosthene in catast. 3 servatas: Quum Iuno ab Iove in matrimonium duceretur, diis sponsae munera ferentibus Terram aurea mala attulisse quae Iuno admirata in deorum horto in Atlantis vicinitate plantari iussisset. Sed malorum quum ab Atlantis filiis perpetuo surriperentur, custodem a dea ingentem draconem esse constitutum. A Scholiasta ad Germ. Arat. Phaen. 49 proferuntur haec: Hunc draconem Pherecydes dixit inter astra collatum esse beneficio Iunonis, quod quum nuberet Iovi diis offerentibus munera Terra quoque obtulit aurea mala cum

ramis, quae Iuno in hortum suum, qui erat apud Atlantem, inferri iussit et Hesperides Atlantis filias custodes posuit. Quae quum a filiabus Atlantis subtraherentur et saepe vexarentur, Iuno custodem horti draconem pervigilem implicuit arbori, quem Hercules interfecit et Iuno astris intulit. Denique Pherecydes Herculis cum Antaeo certamen singulare, genitum ex Iphinoa Antaei uxore filium Palaemonem, sublatum ab eo ad mala aurea profecto Emathionem tradiderat. Herodotus quae de Hercule contra Geryonem profecto memoriae tradidit, a Graecis qui pontum incolebant se accepisse refert. Atque narrasse eos, Herculem boves abigentem Geryonis in terram tum desertam venisse, quam Herodoti temporibus Scythae incolebant. Geryonem vero extra pontum insulam a Graecis Erythiam vocatam prope Gades, quae sint extra columnas Herculis in Oceano, tenuisse. Illinc in Scytharum fines venisse et ex Echidna, mixtae cuiusdam et geminae naturae muliere, quae usque ad clunes superiore corpore mulier, inferiore serpens fuisset, tres filios genuisse, Agathyrsum, Gelonum, Scytham, atque ab his Herculis filiis Agathyrsos, Gelonos, Scythas ortos. Praeterea apud Tyrem amnem Herculem vestigium duas ulnas longum pede impressisse. Her. IV, 82. Herodorum Heraclea Pontica oriundum, Socratis fere aequalem, Herculis res uberius tractasse constat, quum Argonautica et de Heraclea scriberet. Fabulas quidem non ut acceperat, tradidisse, sed earum caussas quaesivisse videtur et quomodo natae essent, indagasse. Ephorus Cumaeus qui usque ad Alexandri tempora vixit, in Historiarum libro primo, quum Heraclidarum in Peloponnesum reditum narraret, Herculis fabulas breviter modo tractasse neque novi quidquam attulisse videtur. Erythiae mentionem fecit teste Plinio Hist. Nat. IV, 22. Ab eo latere quo Gades Hispaniam spectant, insula est in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro et Philistide Erythia, a Timaeo et Sileno

Aphrodisias. In sacro promontorio quod in extrema Hispania est, Herculis fanum esse Ephorus dixerat. Strabo III, 202. Scenicos Graecorum poetas propterea omittendos esse puto, quod non ut acceperunt, fabulas tractabant, sed prorsus ut cuiusque eorum in componendis dramatibus ingenium consiliumque erat, mutabant atque invertebant; neque ad constituendas eas, de quibus agimus, fabulas magni momenti erant, quum et perpauca de iis scriberent et eo tempore quo iam fabulae in certo orbe constiterant.

Quare quum priorum scriptorum de Geryonis armentis et Hesperidum malis reliquias collegerimus, iam Apollodori, quem deorum atque heroum fabulas ex prioribus historiae auctoribus atque poetis diligenter contulisse constat, narrationem referemus. Narrat, in insula Eurythia, quae nunc Gadeira appelletur, habitasse Geryonem, Chrysaoris et Calirrhoae filium, eumque trium hominum corpora in unum composita, ita ut in clunibus concrescerent, habuisse. Cuius boves rubros quum abigere Herculi mandatum esset, in Libyam eum profectum esse et Tartessi duas columnas in Europae et Libyae finibus itineris sui monumenta extruxisse. Quum in itinere Solis ardore vexaretur, sagittas in eum direxisse, qua perterritum audacia Solem ei phialam auream, qua Oceanum traiicere solitus esset, dedisse. Qua quidem phiala vectus quum Erythiam venisset, atque in Abante monte consedisset, Orthrum canem bicipitem et Eurytionem bubulcum rem impedire conatos interfecisse. Geryonem vero quum a Menoetio, qui iisdem in locis Plutoni boves pasceret certior factus persequi Herculem ausus esset, ab illo exorto certamine singulari sagittis percussum esse. Quo facto Soli phialam traiectis bovibus reddidisse. Interfectis deinde in Liguria Dercyne et Alebione boves rapere ausis ut Tyrrheniam peragrans ad fretum venisset, unum boum in Siciliam transnatasse. Quem bovem quum Eryx Elymorum rex Nep-

tuni filius suo gregi aggregasset, Herculem ter cum eo luctatum esse eumque interfecisse atque cum toto grege ad sinum Ionium pervenisse. Ubi quum boves iniecto a Iunone furore per Thraciae saltus dispersos magno opere coegisset, ad Hellespontum venisse, Strymonisque fluvii ostium iniectis magnis lapidibus implevisse. Deinde boves ad Eurystheum egisse, a quo Iunoni immolati essent. Ne tum quidem laborum finem invenisse. Nam ex laboribus per octo annos et unum mensem confectis purgata Augiae stabula hydramque interfectam rata habere Eurystheum noluisse. Quare mandasse ut aurea Hesperidum mala a Terra Iunoni data ab Hyperboraeis, non, ut quidam referrent, e Libya apportaret. Illa poma ab immortali centicipite serpente, Typhone et Echidna nato, qui eo insignis fuisset, quod eodem temporis momento varios sonos ederet, custodita fuisse. Praeterea Hesperides, Aeglam, Eurythiam, Hesperiam, Arethusam pomorum custodes fuisse. Quae ut apportaret Herculem profectum quum ad Echedorum amnem venisset, Cycnum filium Martis singulari certamine victum interfecisse. Quo facto cum Marte ipso ad certamen provocatum manus conseruisse. At Iovem pugnam fulmine diremisse. Illyria peragrata postquam ad Eridanum flumen pervenisset, a Nymphis edoctum, qui mala asportandi rationem ostenderet, Nereum cepisse. Quod quum assecutus esset Libyamque peragraret, cum Antaeo Terrae filio luctatum esse eumque e terra elatum compressis lumbis enecasse. Atque quum in Aegyptum profectus Busirim regem ipsum diis mactare conatum interfecisset, Thermydras in Rhodiorum fines venisse abactumque aratoris alterum bovem devorasse. Qua re quum iratus arator eum maledictis persequeretur, factum esse ut Herculi immolantes vociferentur. Postquam in Arabia Emathionem Tithoni filium interfecisset, Libya peragrata in continentem vectum phiala, in Caucaso Promethei aquilam sagittis transfixisse. Qno facto

quum ei Prometheus suasisset, ne ipse mala asportare conaretur, Atlantem potius qui ea surriperet precaretur, ad Atlantem pervenisse ab eoque dum mala apportaret, coelum, suscepisse. Quod quum ille apportatis malis recipere nollet, ut saltem reciperet, dum ipse sibi caput toro obtexisset, precatum mala ab illo in terra posita sumpsisse atque Atlanti valedixisse. Mala Minervam ab Eurystheo Herculi et ab Hercule sibi data in pristino loco reposuisse. Non me fugit, alios quoque scriptores qui post Apollodorum florebant, Herculis res tractasse. Sed similia iis, quae iam de scenicis poetis, dicta sunt, conturbasse eos, quae a prioribus accepissent, maximeque quibus rebus intuentium animos permoverent elegisse vel admixisse, de illis quoque scriptoribus valent, qui Herculis res post Apollodorum tractavere. Nam non ut acceperant, fabulas simpliciter narrabant, sed quae ipsi philosophiae aut historiae ratione habita de iis sentiebant, admiscebant. Praeterea Apollodorum rem satis copiose exposuisse arbitror. Itaque hoc opere iam peracto ad ea transeamus quae de singulis rebus, e quibus fabulae coaluerint, comperta habere mihi visus sum.

II.

Quas Apollodorus de Geryone et Hesperidum malis tradidit fabulas qui attentius perlegerit, fateatur necesse est, res varias et haud raro inter se contendentes ita mixtas et quasi conglutinatas esse ut difficile esse videatur eas in certa genera diducere. Attamen re diligentius tractata quatuor mihi videntur esse genera statuenda, quibus singula, quae inter se similia esse videntur, subiungantur: genuinam quandam et adultam cum ipsa Graecorum natione fabulam, commentitia illa, quae ornandi et augendi caussa poetae attulere, res foris allatas et propter similitudinem cum genuina fabula coniunctas, ea denique quae ab historiae scriptoribus, rationibus aut geographicis aut etymologicis adductis, inserta, sensim in unum quasi corpus coaluerunt. Non me fugit magnam de his rebus inter viros doctos esse dissensionem, quum aut genuina statuant multa quae alii ab exteris nationibus petita esse contendant, aut omnino fabulae originem vere Graecam esse negent. Quae quidem quo difficiliora diiudicatu sunt, eo magis virorum doctorum studia in se traxerunt. Nemo enim negabit omnem de fabulae significatione opinionem eo fulciri, quo quisque modo eam natam esse statuat. Quare quae mihi probata sunt quo facilius explicentur, optimum esse ratus sum a primis fabulae quasi vestigiis incipientem singula persequi et inter se comparare.

Ac primum quidem ne quis in eo offendat quod apud Homerum nihil de Geryonis bubus aut Hesperidum malis legatur, non omnis qua fuerit illo aevo amplitudine de Hercule fabula in carminibus illis memoriae tradita est, quum res ab Hercule gestae non peculiari carmine aut libro tractatae sint, sed prout locus ferat, carptim memorentur. Itaque si quis eo quod in Homeri carminibus Hercules non ultra Graeciae fines nisi Ilium profectus inducitur, efficere vellet, eas fabulas quae a nobis tractantur illis temporibus plane ignotas fuisse, merito temeritatis accusaretur. Atque si verum video ne Geryonis quidem boum non Homerus ullam mentionem fecisse videtur. Panyasis enim Geryonis nomine omisso boves illos Solis greges appellat; quorum custodem dicit Phylaceum. Nam non dubium est quin de Hercule scribens eos ab illo abductos esse memoraverit. Atque eos quidem Solis greges poetam in animo habuisse e quibus impii Ulixis socii optimos atque pulcherrimos devoraverint, etsi levibus opinio mea fulciatur argumentis, coniicere mihi liceat. Forsitan quis dixerit, Panyasim duas fabulas contaminasse quum et Homeri et qui eum sequuntur carmina novisset. Detur illud, nemo tamen negabit, fabulas ita similes esse ut eas poeta quasi ex uno fonte natas coniunxerit sine ullo timore, ne aequalium rerum scientiam offenderet. Denique mihi probabilius esse videtur eandem utriusque fabulae originem statuere, quam alios boves Homeri quae dicuntur carminum auctorem, alios Hesiodum in animo habuisse.

Hesiodus utrum fabulam auxerit atque ornaverit, an quae ex carminibus aut hominum sermone tradita habuerit, ea simpliciter enarraverit, non in aperto est. Attamen quum in Theogonia deorum heroumque origines breviter atque sine ullo exquisitioris artis lenocinio exponantur, Hesiodum in Hesperidum malis et in Geryonis bubus brevitati studuisse consentaneum est. Maiorem nobis exhibent difficultatem ii, qui He-

siodum de aureis malis et Geryonis bubus famam a Phoenicibus accepisse contendunt. Attamen quin utramque fabulam quomodo eas Hesiodus tradidit, vere Graecam statuamus quid obstat? Nomina Geryon, aut Orthrus, aut Eurytion aut Chrysaor, aut Calirrhoe, aut Erythia num alienigena esse videntur? Num Hesperides? Neque in rebus enarratis neque in nominibus ullum exterae originis vestigium deprehendas. Pisandrum autem quae tradidit de Solis phiala, ab Aegyptiis mutuatum esse, Heynius recte mihi suspicatus esse videtur. Nam in Graecorum antiquissimis carminibus Sol quadriga, non navigio usus esse fertur.

Stesichorum quidem Himeraeum quum in Sicilia natus esset quam in insulam iam pridem Phoenicum colonias deductas esse constat, multa a Tyrio Melkartho mutuatum esse facile concedatur. At si Vogelius contendit, Geryonis sex pedes sexque manus a Phoenicibus confictas esse, quibus Graecos aliosqne populos deterrerent, quominus Hispaniam bonis abunde repletam sed monstris horrendam frequentarent, Phoenicum apud Stesichorum austoritatem pluris aestimasse mihi videtur quam debebat. Mihi quidem ea Geryonis ornamenta, quum iam Hesiodus Geryonem tricipitem esse narrasset, in ipsius Stesichori mente nata esse videntur, quo reportatam Herculis ex eo victoriam mirabiliorem et clariorem depingeret. Tartessi vero fluminis mentionem factam quin Phoenicibus debuerit, non est dubium. Pindarum quidem novam rerum Herculis tractandarum rationem non iniisse eiusque imaginem partim a recentioribus Pisandro atque Stesichoro partim ab Homero Hesiodoque petivisse ex iis locis quibus aut Geryonis aut Hesperidum mentionem fecit, cognosci potest. Sed illud dari concedique potest ac debet eum omnium maxime extera cum domesticis contexuisse et una cum Panyaside latiorem illum fabularum orbem qui posteriore tempore fuerit, constituisse ac stabilivisse. Illud non dubium

est, quin Hercules ille, qui pelagi monstra domuerit, usque ad ultimos Libyae fines penetraverit ibique navigationis extremae monumenta columnas erexerit, quas res Pindarum cum expeditione contra Geryonem contexuisse perspicuum est, a Tyrio Melkartho magna ex parte petitus sit. Quodsi cum Pisandri et Stesichori reliquiis ea quae ex Panyasidis Heraclea supersunt, conferimus, apud eum reperiuntur Aegyptiorum credita immanitas, Nereus pro Oceano qui fuit apud Pisandrum phialam tribuens, Herculis cum dracone inter sidera collocatio, Solis boves pro Geryonis armentis, custodem eorum Phylaceum, ut ex eius, quas attulimus priore capite, reliquiis apparet.
Hecataeus qui res ut sibi verae esse videantur, quum Graecorum fabulae multae sint et earum in numero perridiculae, se scripturum esse profitetur, quae a prioribus acceperat, omnino mutavit. Itaque quo magis fabulas historiae fidei accommodaret, quae mirabiliora esse viderentur quam quae crederentur, e fabulosis locis in Graeciae nota littora reduxit. Hellanicum quoque et Pherecydem maiore cum licentia fabulas ad rationes geographicas et historicas accommodasse atque haud raro a poetarum narratione recedere ex ipsorum fragmentis cognoscitur. Dionysium Milesium Scyllam cum Herculis itinere contexuisse supra memoravimus.

Prima recepta in Herculis fabulas Italiae mentio apud Hellanicum invenitur et apud Aeschylum qui Herculis cum Liguribus pugnam et Rhegium commemoraverat. Prom. sol. fragm. 193. In Italiam Herculem iam mature Graecorum coloniis adductum esse ex utriusque et Graeci et Italici Herculis consimili natura et eodem fere cultu apparet. Sed quum Graecorum qui erant in coloniis cum aboriginibus qui dicuntur finitimis in dies magis cresceret consuetudo, fieri non potuit quin eorum deos cognoscerent atque in iis propter similitudines aliquas suos reperisse crederent. Quo factum est,

ut Herculis fabulas ad suas rationes conformarent, Graecaeque imagini, si ita dicere licet, colores Italicos admiscerent. Quare quae Herculis in Italia itinera facinoraque cum expeditionibus versus occidentem factis coniuncta sunt, ea magna ex parte in Italia conficta sunt. Quae Graeci pro more suo libenter acceperunt et cum Herculis itineribus coniunxerunt, quae iam diu noverant. Quo factum est ut iis quae iam ex Aegyptiorum et Phoenicum fabulis Graecae admixta erant, Italica accederent. Hellanici iam tempore Graecam fabulam additamentis Italicis auctam fuisse iuvencus qui in Siciliam traiecisse memoratur, luculenter demonstrat. Quae quidem iuvenci fuga quum et Italiae et freto urbique Rhegio nomen dedisse feratur, non dubium est quin admodum recenti tempore conficta sit. Itaque quum iam diu Phoenicum Melkarthus cum Graeco Hercule coniunctus esset, atque in Graecis Galliae, Italiae, Siciliae coloniis Herculis fabula vigeret et perpetua rerum ab eo gestarum confictione augeretur, factum esse videtur, ut Hercules ipse ex Hispania per Pyrenaeos saltus in Galliam atque inde per Alpes in Italiam Siciliamque profectus esse crederetur.

Pherecydis auctoritatem multum valuisse ad posteriorem componendae fabulae rationem maxime ex iis apparet, quae de Herculis ad Hesperides itinere eum tradidisse supra memoravimus. Cui quum in promptu esset, quae de Herculis itineribus narraturus erat, a Pisandro Stesichoroque et Panyaside petere, Solis phialam, quam Pisander ab Oceano, Panyasis a Nereo Herculi datam esse memoraverant, ab ipso Sole, in quo fortasse Stesichorum secutus est, Herculem nactum esse, Oceanum vero Herculis in mari periclitantis virtutem tentasse narrat. Herculem ad Hesperidum mala apportanda profectum primum Nymphas adiisse, et Eridanum flumen, Tartessum, Libyam, Memphim, Thebas, Libyam exteriorem, Pergen, Caucasum attigisse, denique ad Atlantem per-

venisse. Pherecydem quae ex singulis regionibus ad Herculis fabulam accessisse supra memoravimus primum collegisse ex hac consuta narratione apparere existimo, quum Antaeum primus et Prometheum, Busirim, Emathionem Herculis quidem, sed antea seiuncta cum expeditione ad Hesperides contexuerit. Fabulas de Hercule ad Geryonis armenta et Hesperidum mala avehenda profecto, arte cohaerere et non raro, quae alterius fabulae essent cum altera connexa esse eo perspicuum est, quod Solis poculum quod antea ad unum iter Erythiam factum Herculi datum esse a scriptoribus memorabatur, profecto quoque ad Hesperides a Pherecyde concessum est. De dracone inter sidera relato scripserat Panyasis.

Herodoti de Hercule Scytharum parente narratiunculam Apollodorus quum Herculis contra Geryonem iter persequeretur, non recepit. Qui Aristarchi discipulus quum ex poetis et logographis, fontibus uberrimis, hauriret, fabulas sine ullo interpretandi eas studio persecutus esse videtur. Nam quod Hecataeus, Herodorus aliique consilium secuti esse videntur, ut fabulas ad rationes geographicas et historicas accommodarent, eo Apollodorus quum colligendi tantum et componendi fabulas consilium cepisset, omnino vacat. Quae eiusmodi inveniuntur, non in ipsius mente nata e prioribus fabularum auctoribus eum recepisse consentaneum est. Geryones triceps, Chrysaor, Eurytion, Orthrus in Hesiodi carmine inveniuntur, Geryonis corpus triforme apud Stesichorum. Erythiam insulam eandem esse atque Gaderam ab Ephoro petiisse videtur. Erectas in Libyae et Europao finibus columnas Pindarus, intentum in Solem arcum Pherecydes primus memorasse videtur. Abantem vero montem unde petiverit, non perspicuum est, nisi aliquem Hispaniae montem eum in animo habuisse statuamus. Menoetius etiam Plutonis boum pastor unde oriundus sit, non in aperto est. Mihi quidem persuasum est, eundem esse Menoetium quem Hesiodus filium Japeti

et Clymenae, Atlantis et Promethei fratrem a Jove propter nimiam ferociam fulmine perculsum et ad inferos missum esse narrat. Theog. 510. Eundem Menoetium Apollodorus narrat ab Hercule Cerberum ex inferis abducere conato luctando victum maleque mulcatum esse. Quae sequuntur, Rhegii bovem fugisse et in Siciliam transnatasse Italiamque ab eo nominatam esse ex Hellanico petita esse apparet. Quod etymologiae studium multum valuisse diximus in fabulis natis auctisque, admodum perspicuum est Rhegii nomine ab ἀποῤῥηγνύναι et Italiae a vitalo Tyrrhenico iuvenci nomine ducto. Erycem Elymorum regem Herculi bovem abstulisse apud priores fabulae auctores non legitur. Videtur fabula eo nata esse quod in Eryce monte antiquissima Phoenicum colonia erat, quaeque de eorum Melkartho tradebantur, cum Herculis in Geryonem itinere coniuncta sunt. Eandem ob caussam Hercules usque ad Hellespontum et Strymonem profectus esse videbatur, nempe ut, quae in illis locis res ab Hercule gestae credebantur, fabulis de itinere ad Geryonem facto insererentur. Apollodori de Hesperidibus narrationem si cum iis quae Pherecydes de allatis pomis tradidit, conferimus, haud pauca inter se pugnantia inveniuntur. Licet uterque Hesperidum poma in Atlantis vicinitate fuisse memoret, Hesperides una cum dracone pomorum custodes facit Apollodorus, contra Pherecydes primum Atlantis filiabus, deinde vero, quum ab ipsis surriperentur, draconi ea commissa esse refert. Ne de itinere quidem consentiunt. Quum Apollodorus Herculem tradat in Macedoniam profectum cum Cycno et Marte pugnasse, deinde per Illyriorum fines venisse ad flumen Eridanum et Nymphas, ab his ad Nereum, inde in Libyam pervenisse et cum Antaeo luctatum esse, Pherecydes eum statim Nymphas adiisse atque prius ad Tartessum venisse quam in Libyam refert. De rebus in Libya atque in Aegypto gestis consentiunt. Apollodorus narrat, Herculem Asia peragrata Thermydras Rhodi

sitas venisse atque aratoris bovem devorasse, deinde in Arabiam migrasse atque Emathionem necasse alteroque per Libyam itinere usque ad maris oram facto phialam accepisse, quo navigio usum ad adversam continentem perlatum esse et ad Caucasum Prometheumque pervenisse. Pherecydes Rhodo insula omissa Emathionem, quem in Aethiopia locasse videtur, post Busirim necatum memoravit. Addidit in Libya Aethiopiaque multas bestias ab Hercule necatas esse, in quo eum secutus esse videtur Diodorus IV, 17. Solis phiala Herculi data ab utroque huic itineri inseritur. Neque illud usquam nisi apud Apollodorum invenitur, Herculem Jovi Chironem sponte moriturum Promethei loco obtulisse. Quae de Atlante et Herculis fraude narrantur, ea apud utrumque consentiunt. Hesperidum nomina apud Apollodorum sunt Aegle, Erythia, Hesperia, Arethusa. Quae nomina unde petiverit, non perspicitur, quum apud priores scriptores non inveniantur. Quum Hesiodus Hesperides filias Noctis esse tradiderit, Pherecydes et Apollodorus eas filias Atlantis fuisse affirmant. Herculem Thermydris aratori bovem abduxisse atque devorasse narratiuncula admodum recenti tempore mihi videtur esse adiuncta, nisi, quod Heynius censet, locus interpolatus est. Herculis enim edacitatem eo demum tempore fictam esse, quo melioris aevi pietas erga deos e Graecorum animis evanuerit, neminem negare puto. Itaque nisi locus gravi mendo laborat, ab interprete aliquo fabularum, qui cultus deorum heroumque investigaret, iocosa illa narratiuncula fabulae inserta esse videtur. Sed iam satis multa mihi verba fecisse videor, quibus appareat, quomodo utraque fabula initio simplex additamentis ab exteris nationibus petitis, poetarum confictionibus, historiae auctorum et grammaticorum inventis mirum in modum aucta sit. Jam ad ea transeundum est, quae de propria utriusque fabulae significatione excogitata litterisque mandata sunt.

III.

Professus in huius libelli praefatione, quae de explicandis Herculis fabulis cognoverim, hoc tertio capite me expositurum, vereor ne quis omnia nova atque a me ipso inventa exspectet. Nam quum de iis tot viri tanto ingenio tantaque in rebus investigandis industria praediti scripserint, ut vix ulla res fugisse eos videatur, quumque sit in iis tanta de summis rebus dissensio, ut plane nonnunquam diversas adhibeant rationes, non minima laus est ex tanta rerum atque opinionum silva optima elegisse et in unam quandam aequabilem rationem coniunxisse. Quam quidem laudem ut meritus sim, gravissimis de caussis admodum vereor. Quorum tamen sententias atque opiniones si paullo attentius contulerimus atque perpenderimus, illud quidem primo obtutu apparet, plurimos fabularum interpretes quum interpretandi unam alteramve rationem praeferendam reliquis esse putarent, in ea anxie haesisse suaque natura diversa ei accommodasse. Quo vitio cumulati sunt omnes fere philosophiae et historiae scriptores antiqui. Nam aut ex fabulis, ut ita dicam, ineptas historias fecerunt, aut rationem physicam maxime probabilem esse duxerunt ut Anaxagoras et Neoplatonici qui dicuntur philosophi, aut etymologiam adhibendam esse duxerunt ut Stoici. Itaque Herodorus de Prometheo, quem ab Hercule ad Hesperides profecto liberatum esse legimus apud Apollodorum

II, 5, 11, haec fere proposuit: Prometheum Scytharum regem fuisse eumque quum non posset civibus victum praebere propter fluminis quod αἴετος diceretur inundationes, a civibus vinctum esse. Herculem venisse et amnem in mare avertisse, unde fabula nata esset, Herculem aquilam avem sustulisse. Schol. Apoll. II, 1258. Herculem Atlantis onus sustinentem sic explicandum credidit: Hercules quum ab Atlante Phryge barbaro coeli columnas suscepisse tradatur, eo significari, coelestium eum rerum scientiam ab illo accepisse. loc. c.

Iis consimilia sunt quae Diodorus IV, 17—28 de utraque expeditione profert: Aurea μῆλα dubitat utrum fuerint poma an oves pelle aurei coloris praeditae. Atlantem vero Aethiopum regem narrat ex Hesperide, Hesperi fratris filia, puellas septem genuisse pulcerrimas, quas a Busiri Aegyptiorum rege raptas quum Hercules restitueret, patrem grato animo quae de sideribus et terrae forma sciret, eum docuisse. Quo factum esse ut Atlantem columnas ferre, Herculem vero quod ab illo astrologiam accepisset, mundum subiisse fabularentur. Herculis adversus Geryonem expeditionem ita narrat: Herculem audito Chrysaorem totius Hispaniae regem tres habere filios, corporis virtute et copiarum multitudine clarissimos, magnis copiis coactis in Libyam profectum esse, Libyam bestiis expurgasse Busirimque necasse, quod infans serpentium impetus expertus esset atque iuvenis iniustae dominationis libidinem tulisset. Omnino Diodorus quem finxit Hercules magni exercitus dux populos bello domat, urbes condit, aggeribus paludes praestruit. Praeter miram faciendae ex fabulis historiae artem fatua quadam excellit in etymologia sagacitate. Conditam ab Hercule Alesiam ex ἀλῆναι appellatam esse, Crotonem urbem a Crotone Herculis comite, Herculi nomen inditum esse ὅτι δι' Ἥραν κλέος ἔσχεν. Non dubium est, quin Diodorus in fabulis tractandis Euhemerum Cyrenaicum secutus sit, qui libro ἱερᾷ ἀναγραφῇ deos et heroes, a populo

summo honore habitos, homines fuisse vel rerum naturalium scientia vel corporis vi vel copiis atque opibus insignes efficere voluit. Qui liber quanta fuerit apud aequales et posteros auctoritate eo cognoscitur, quod vel ab Ennio Latinis litteris mandatus est. Quin etiam usque ad nostrum fere aevum viri et ingenio et in rebus tractandis diligentia nobiles Euhemeri placita secuti sunt.

Non defuere tamen qui deorum heroumque origines alia adhibita ratione indagarent. Philosophi ii, qui dicuntur Neoplatonici, in explicandis fabulis physica potissimum ratione usi esse videntur. Quorum e numero Porphyrius Herculem solem esse atque duodecim eius labores solis per circulum zodiacum iter esse dixit. Euseb. praep. ev. III, 11. Eandem de Hercule sententiam secutus est Macrobius, cuius haec fere sunt verba: „Et re vera Herculem solem esse vel ex ipso nomine claret. Heracles enim quid aliud est nisi Heras id est aëris cleos id est gloria. Quae porro alia est aëris gloria nisi solis illuminatio, cuius recessu profunditate spiritus occulitur tenebrarum. Eodem fere loco: Quippe Hercules ea est solis potestas quae humano generi virtutem ad similitudinem praestat deorum. Sat. I, 20.

Primus in exquirenda fabularum significatione novas quasi vias aperuit Heynius. l. c. 158—157. Qui reiecta Euhemeri sententia fabulas esse sermonem quendam ratus est, quo homines, quum cultioris humanitatis scientia atque eruditio nondum vigeret, notiones sola mente capiendas expressissent. Itaque Herculem in cosmogoniis ad roboris notionem significandam inventum esse affirmat. Quae de Geryone et Hesperidibus Apollodorus memoriae tradidit, ea non in Graecia inventa, sed ab Hercule Aegyptio et Melkartho Tyrio petita fuisse putat. In utraque fabula non dubitat quin solis notio lateat. Scilicet ab initio fuisse ait in Hesperidum hortis et malis saureis ingenioum aliquem ludum et respectum occidentis

solis, quum eius regia et armenta et horti in oceano occidentali essent constituta. Heynius quidem quum Euhemerismum qui dicitur prorsus diluerit atque refutaverit, in eo reprehendi potest, quod Herculem ad roboris notionem declarandam statuit inventum esse, quasi re vera dii inventi essent, non ex universae alicuius gentis res intelligendi atque considerandi ratione quasi nati. Sed quum Geryonem atque Hesperides ab Aegyptiis sive Phoenicibus petitos esse putaret, uberrimam materiam proposuit ad pervestigandas et comparandas singulorum populorum religiones eamque interpretationis viam quasi commonstravit. Moversius Herculem ab Aegyptiis aut Phoenicibus ad Graecos pervenisse vult atque eundem esse ac Syrorum Baal aut Tyriorum Melkarthum. Eandem fere viam Creuzerus ingressus Graecorum plerosque deos Aegyptiae esse contendit originis. Quod vero nomina non consentiant, eius rei caussam esse quod qui deos adduxerint, nomina aut Graecorum linguae accommodarint aut in Graecum sermonem verterint. Itaque Herculem esse Aegyptiorum Som, subrubri solis deum. Neque nomen impedire quin eam Herculis originem esse statuamus. Ducendum enim esse ab הרכל eiusque vocis significationem esse circuitorem, solis scilicet viae. Cuius rei certissima vestigia in Graecorum de Hercule fabulis deprehendi. Quid enim duodecim laboribus significari nisi circulum zodiacum? Quid Solis phiala Herculi data? De Geryone quoque et Hesperidibus fabulas eandem nobis explicandi viam aperire. In Erythiae enim insulae nomine latere respectum quendam coeli occidente sole rubentis, Geryonis nomen ducendum esse a γῆρας. Itaque sensum fabulae esse, vere solem hiemi seni anni tempora abducere, quae quum tria sint, Geryonem tricipitem fingi. Boves esse annos, anni tempora menses, qui hiemi atque pluviis eripiantur. Eandem anni temporum significationem exprimi Hesperidum malis. Her-

culem enim sculptores persaepe finxisse tria mala manu tenentem, quare εὔμηλος atque μήλων appellatus esset, eodemque modo Aegyptios atque Tyrios anni deum finxisse. Herculem tradi cum Liguribus pugnasse atque quum eum tela deficerent, in genua connisum esse, eoque nihil aliud significari nisi solem occidentem amissa radiorum vi. Quod Antaeus Neptuni et Terrae filius dicatur, eo significari arenosa Africae littora quae vere terra marique edita sint.

Moversius atque Creuzerus quam monstraverat Heynius viam ingressi quum fabularum rationem physicam exquirerent, nimium in eo elaborasse videntur ut Herculem Graecis abalienarent atque Aegyptiis iisque qui orientem spectant solem populis tribuerent. Nam quum apud omnes fere populos nascentis humanitatis par sit condicio, iis, quae inveniuntur similitudines deorum atque heroum, quamvis facete et ingeniose et eleganter enucleentur, tamen non efficitur, qui dii inter se similes sint, eos alium ab alio esse petitum. Neque in eo verum Creuzerum vidisse existimo, quod in Hercule solas fere physicas rationes invenerit. Quod Baurius sensisse videtur, quum ethicam rationem adiunxerit. Creuzerum secutus Herculem ab exteris nationibus in Graeciam pervenisse putat atque apparere ex iis qui ultimi Herculis labores nobis traditi sint, ex abactis Geryonis bubus et Hesperidum malis, Herculem fuisse solem. Nam Erythia insula quae fuerit quum ex ipso nomine cernatur, bubus menses significari ab omnibus concedi putat. Geryonem esse hiemem senem eumque ne in tempus infinitum solem occidentem atque annum condat atque retineat, ab Hercule lucis numine debellari. Neque occulte tribus malis tria anni tempora iucundamque eorum vicem significari. Neque tamen in iis Herculis, qui ab exteris nationibus in Graeciam pervenerit, vestigiis anxie haerendum esse putat. Nam ita mutatum esse ut quasi nova effigie expressa qui initio deus fuisset, is heros factus

esset atque strenui viri exemplum, qui ingentibus perferendis laboribus deorum fieret convictor. Sed ne sic quidem totam Herculis fabularum significationem mihi complexus esse videtur, quum eas quae in iis apparet historicae rationes prorsus neglexerit.

Herculem Graeciae quasi reciperasse Mülleri laus est, qui Herculem statim ab initio Graecorum heroa fuisse putat potissimumque Dorum, eosque quum Peloponneso tota fere subacta summam apud omnes Graeciae civitates potentiam assecuti essent, quo duce atque socio rem praeclare gessisse crederent, eius laudes magnopere celebrasse. Itaque Graecorum nationis quasi propugnatorem habitum esse, qui proprias eorum virtutes, ubicunque locorum consedissent, tuitus esset, atque quibus illi usi essent cultioribus moribus viam aperuisset. Ne in abactis quidem Geryonis bubus Hesperidumque malis notionem solis latere putat. Hecataeum et Scylacem, qui Erythiam in finibus Epiri septentrionalis sitam fuisse affirmaverant, secutus Herculem putat Graecorum heroa Solis boves a populo deorum infernorum religioni dedito pastos nullo Solis respectu habito abegisse. Atque usque in ea tempora de quibus nobis historiae auctores certa memorassent, ab Apolloniensibus viris, quibus honoris ea custodia fuisset, Solis boves ad Aoum flumen custoditos esse. Quare quae physicae in Herculis fabula inventae essent rationes, eas ab exteris nationibus ad Graecos pervenisse atque cum indigena heroe coniunctas esse. Dor. pag. 422—426. Eam vero fabulam quae Geryonem et Erythiam in multa locorum et marium longinquitate collocaverit, Hecataei infelici emendatione multo antiquiorem esse nemo negabit, qui Hesiodum atque Stesichorum aetate hoc esse superiores concesserit.

Müllero adstipulatus Vogelius quae in Herculis fabula solem respiciant, a Phoenicibus petita esse putat. Duodecim Herculis laborum definitum orbem primum Theocritum in

Heraclisco 80, et Apollonium Rhodium 1, 1318 perhibere. Quare probabile ei esse videtur, duodecim laborum electum et collationem non ante Alexandri aut Ptolemaeorum tempora Graecis exstitisse. Tum factum esse ut Herculis cum Sole societas singulatim describeretur et secundum solis duodecim annua et quotidiana certamina ex rerum ab Hercule gestarum indigesta mole duodecim qui dicuntur ἆϑλοι deligerentur. Alexandrum enim et Ptolemaeos perpetuo in eo laborasse atque id egisse ut cum nationibus a Macedonibus subactis Graeci in unum quasi populum coalescerent. Cui rei magnum adiumentum fore si dii et heroes quam simillimi apparerent, non sine caussa eos existimasse. Iam Pisandrum Panyasimque continuo in eo laborasse ut Soli deo Heracles magis magisque exaequaretur. Itaque Herculem qui Chrysaoris filium Geryonem interfecerit, Hesperidumque mala abduxerit aurea, Tyrium Melkarthum esse. Erythiam esse Hispaniam, ubi quum optima metalla tum opima armenta Phoenicibus eorumque coloniis nata sint. Geryonis sex pedes sex manus pennasque haud dubie a Phoenicibus confictas esse, qua confictione Graecos atque alios populos, quominus frequentarent terram fertilissimam, bonis abunde repletam, sed monstris horrendam, deterrerent. Vogelius gravissimum Creuzeri atque Baurii argumentum, Herculis laborum cum zodiaco comparationem refutavit. Sed quum Geryonem atque Hesperides Phoenicum confictiones esse contenderet, nimis temere eas fabulas considerasse videtur.

Curtius (Griech. Gesch. pag. 50.) per Herculem significari putat Phoenices nautas ac colonos, eumque per omnes terras errantem Phoenicum mercatorum imaginem esse. Phialam qua Erythiam traiecerit, imaginem esse navis Phoenicum onerariae carinaeque aere munitae. Phoenices fuisse illum Herculem, qui amnis cornu perniciosum fregisset, aggeres munivisset, vias aperuisset, monstra exstinxisset. Sed veteres illas de Phoenicum et Aegyptiorum in Graecia coloniis fabu-

las iam Müllerus refutaverat. Prellerus (Griech. Mythol. pag. II 159, 202) Herculem et Jun conferens illam lunam mutabilem, hunc pugnantem solis heroa, quamquam Junoni aëris numini perosi sint, tamen eius esse servos existimat idque cerni in Herculis nomine. Geryonem, nomen a γηρύειν ducens, putat esse ventorum ac tonitruum hiemalium numen quumque ab Hercule vinci fingatur eo ostendi hiemis atque aestatis vices. Eandem physicam rationem inesse putat in Hesperidum malis ab Hercule abductis, licet fabulae iam mature additamenta Punica admixta sint.

Sed ut iam, quae ipse de fabularum significatione sensi, proferam, tres Herculis cultus aetates statuendas esse existimo, Pelasgicum, deinde ab evanescente Pelasgorum nomine usque ad primos colonos Graecorum eductos, denique usque ad labefactatam per philosophos et historiae auctores veterum fabularum fidem. Quam rei tractandae rationem mihi ostendi existimo iis quae a poetis et historiae scriptoribus tradita esse supra narravimus. Nam quae Hesiodus de Geryone atque Hesperidibus memoriae tradidit, ita simplicia sunt atque nativa ut a primis theogoniae atque fabularum originibus ducta esse videantur. Forsitan quis dixerit, Hesiodum Graecas, non Pelasgicas fabulas tradidisse. At quum teste Homero, cuius Achilles, heros vere Graecus, Jovem Pelasgicum ut sibi opituletur, precibus urget Jl. π, 233, atque Thucydide, qui Pelasgos gentem quandam universae Graecae nationis praecipuam putasse videtur, I, 3, 2, Pelasgi Graecorum consanguinei sint habendi et ut ita dicam maiores, illas Hesiodi fabulas Pelasgicae originis esse putare mihi concedatur. Itaque Herculem initio deum fuisse solis aut lucis Creuzerum et qui eum secuti sunt, recte arbitratos esse existimo. Sed animum inducere non possum, ut tantum apud Graecos valuisse Phoenicum auctoritatem arbitrer, ut clarissimi herois cultum ab illis mutuati sint. Herculem a Phoenicibus aut Aegyptiis in

Graeciam venisse, eius rei certa vestigia in Geryonis armentis et Hesperidum malis deprehendi et ex Hercule Thasio, Idaeo Digito, apparere Baurius contendit. Herculem Idaeum Digitum facile concesserim Phoenicibus deberi, quum Thasus per longum tempus ab eorum colonis habitata fuerit. Herod. II, 44. Herculem vero adversus Geryonem et ad apportanda Hesperidum mala profectum apud Graecos natum esse quum ex aliis, tum ex ipsa fabula, certe ut ab Hesiodo traditur, perspicuum est. Nihil non genuinum aut vere Graecum in ea deprehendas, qua de re capite secundo diximus. Sed accedunt alia, quibus ut eas fabulas esse Graecorum proprias existimem adducar. Quid si utriusque fabulae vestigia in Indorum litteris deprehendantur? Mommsenio (Röm. Gesch. I, pag. 18) facile adstipulor, quum fabulae de Solis bubus abactis originem praebuisse censeat Indicam illam de diva cane Samara quae coeli domino aureum stellarum et solis radiorum gregem custodiat atque nubes coeli vaccas mulgendas cogat. Et profecto tanta in utraque fabula similitudo apparet, ut, quin ab eadem origine ducendae sint, vix quemquam dubitare existimem. Jam vero quanto satius est putare a communibus illius gentis, quam Indogermanicam appellant, sedibus Graecos illam fabulam secum abduxisse atque quamvis mutatam atque additamentis auctam conservasse, quam exteris nationibus et illis alienigenis debere quod summo iure sibi proprium esse vindicent. Nonne in nostris quoque Germanis fabulis luna cum pastore, stellae cum ovibus comparantur? Forsitan quis dixerit, de Solis armentis facile concesserim, sed agitur de Geryonis, non Solis bubus. Sed Solis et Geryonis boves iam a Panyasi eosdem putatos esse diximus. Nec non Apollodorus Alcyoneum Gigantem qui Solis boves Erythia abduxisset, ab Hercule sagittis transfixum esse tradidit. I, 6, 20. Quam fabulam variatam de Geryonis bubus fabulam esse admodum perspicuum videri puto.

Quin etiam de Hesperidibus et de Persei ad Gorgones itinere fabulas ex illa veterrima quadam, cuius vestigia in Indica fabula deprehenduntur, quasi ex communi fonte defluxisse collatis iis probabile mihi videri haud negaverim. Herculis contra Geryonem profecti fabulam nexu quodam cohaesisse cum Persei fabula eo apparet, quod Perseus proavus Herculis fuisse Chrysaorque Geryonis pater Medusa a Perseo interfecta natus esse dicatur. Sed res quoque ab utroque gestae mire congruunt. Uterque versus occidentem profectus edocetur a Nymphis de re patranda, ab utroque in Aethiopia res mirificae geruntur. Ut Herculi cum Geryone tricipite, ita Perseo cum tribus Gorgonibus sororibus pugnandum erat. De Hesperidibus fabula quin cum utraque coniuncta fuerit, non dubium est. Nam Hesiodus narrat Gorgones habitasse trans inclytum oceanum, ubi habitaverint Hesperides canorae, Theog. 274, et paucos post versus, Pegasum Medusa natum, Chrysaoris fratrem, relicta terra avolasse matre *μήλων*. Jam quum de Diodori ratione explicandi fabulas huius capitis initio diximus, memoratum est a nobis duas potissimum de aureis *μήλοις* opiniones ab eo afferri. Re diligentius mente voluta facere non possum, quin illos Diodori auctores priorem fabulae formam haud ignorasse arbitrer. Nam etsi ex Hesiodi carmine non perspicuum est, utrum Hesperidibus poma an oves tribuerit, tamen ex utriusque et Hesperidum et Geryonis fabulae similitudine, quam antiqui quoque fabularum auctores sensisse videntur, quum haud raro eas quasi confundant et misceant, coniicere licet, eam fuisse variatam de Geryonis bubus narrationem. Nam ex eo quoque fabulam de Hercule ad Hesperides profecto Geryonis illa recentiorem fuisse apparere puto, quod in Theogonia, quum Herculis cum Geryone, Eurytione, Orthro cane certamen expressis verbis narretur, fabulae de Hesperidibus singulae ut ita dicam partes, quas posteri auctores in unam narrationem coniunxerunt,

sine ullo vinculo variis in locis memoratae sunt. Quodsi detur, alteram fabulam alterius esse variatam narrationem, fabulae interpretatio nullam nobis difficultatem exhibet. Significatio enim solis, qui hiemi anni tempora sive menses et dies avehat, quam Creuzerus quique eum secuti sunt, statuendam esse existimabant, mihi quoque probatur. Geryonem enim esse hiemem, sive nomen a γῆρας ducitur sive a γηρύειν, Erythiam insulam coelum occidente sole rubens quin statuamus nihil obstat. Orthrum canem esse diluculum ipso nomine indicatur. Qui canis quod biceps fuerit ne miremur, alterum enim caput nocti, alterum diei obtendebat. Eundem solis occidentis respectum in Hesperidibus latere apparet. Nam et communi nomine Hesperidum et singularum nominibus haud obscure lux significatur occidente sole evanescens. Cum hac explicatione non contendere puto, si Hesperides dicantur canorae. Quo significicari mihi persuasum est ventos ex occidentis solis regionibus flantes. Eandem ventorum significari notionem puto quum Hesperidum serpens eodem temporis momento multos variosque sonos edidisse tradatur. Quibus si primum oves tributas esse putamus, non opus est explicando, quum eam variatam de Solis gregibus narrationem esse appareat. Jam vero si iis poma propria fuisse cum maiore fabularum scriptorum parte statuimus, anni temporum notionem in iis inesse negari non potest. Tribus enim pomis aureis, unde Hercules μήλων atque εὔμηλος dictus esse videtur, tria anni tempora significari eorumque iucundas vices, in eo omnes fere fabularum interpretes consentiunt. Eandem solis verni significationem in Persei fabula latere, quae est Creuzeri atque Baurii opinio, etsi aliam statuam fabulae originem recte eos suspicatos esse arbitror. Nam Graeis significari hiemis senis vim quam in Geryone latere arbitrati sumus, ex ipso nomine et ex Geryonis similitudine apparere videtur. Ad eandem rem signi-

ficandam pertinere Gorgones eo ostenditur, quod interfecta Medusa Chrysaor natus esse narratur. Chrysaorem vero aurei gladii virum quid aliud significare censeamus, nisi renati quasi solis radium? Quare ut, quae a me pluribus explicata sunt, colligam ac repetam, fabulae de Solis et Geryonis armentis, de Hesperidibus, de Gorgonibus a Perseo interfectis mihi ex communi fonte fluxisse videntur. At pro rara, quae illis temporibus erat, singularum Graeciae gentium consuetudine quae initio una fabula erat cum solis aut lucis significatione, ea postea a singularum Graeciae regionum gentibus variata est et ita mutata, ut fabulae complures, rerum insertarum varietate diversae nascerentur.

Neque in aliis fabulis, quae postea cum itinere ad Hesperides coniunctae sunt, ut Herculis cum Cycno et Marte certamen, interfectus ab eo Emathio, susceptum ab Atlante coelum, aliam quam solis sive siderum rationem inesse apparet. Per Martem enim quum significari videatur coelum nubibus obtectum, procellae atque tonitrua, quae denique cum coelo sereno atque sole pugnantia esse videantur, fieri non potuit quin fabula exsisteret, qua Hercules cum Marte pugnasse narraretur. Emathionem Tithoni et Aurorae filium diei numen esse et nomen et parentes satis luculente ostendunt. Sed cur ab Hercule interfectus sit, mirum videri possit, nisi significari statuamus occidente sole diem exstingui. Quae Herculis ab Atlante coelum suscipientis propria sit notio, non temere diiudicaverim; illud autem apparet, rationes inesse physicas vel astrologicas, quas antiqui quoque auctores facile agnoverunt, licet Euhemeri usi ratione fabulam explicarent. Nec non per Prometheum ab Hercule solutum hunc solis aut lucis numen esse declaratur. Nam quum Prometheus propterea quod hominibus ignem dedisset, a Jove saxo affixus esset, Herculis solis numinis erat, eum liberare. Quibus in fabulis quum haud obscure lateat verni solis notio, non te-

mere arbitratus esse mihi videor, Herculem initio solis numen fuisse.

Atque iis quoque quae Herculi a poetis tribuuntur, eum solis et lucis numen fuisse opinio confirmatur. Omnes enim poetae qui Herculis res memoraverunt, ingentes eius corporis vires constantemque animum praedicaverunt. Homerus atque Hesiodus non raro eum *θυμολέοντα*, *θρασυμέμνονα*, *κρατερόφρονα* nominaverunt, atque etiam *βίην Ἡρακληείην* eum appellaverunt. Neque haec in eam sententiam attuli, quibus Herculem solis numen fuisse probem; ita sentio, viribus Herculis nimis auctis nativam numinis physicam rationem ostendi. Quae quidem solis notio in armis, quibus Herculem instructum fuisse accepimus, haud obscura est. Nam compluribus locis ab Homero superasse sagittis dirigendis omnes homines memoratur. Quin etiam cum diis immortalibus eum de sagittas dirigendi laude certasse refert. Od IX, 224. Ipsos deos sagittis vulnerasse fertur, ut Junonem, Plutonem Il. V, 392. Quae Herculis sagittas mittendi ars et consuetudo quum ab omnibus fere interpretibus, quibus Herculem initio deum, non heroa fuisse placebat, ad solis radios referatur, cur iis non assentiar, nihil esse mihi videtur. Jam vero quum singulis diis certae quaedam arbores sacrae esse crederentur, ut Apollini laurus, Veneri myrtus, Herculi quoque dilecta arbor tributa est, populus alba, sive ut eam Graeci appellabant, *ἀχερωΐς*. Quam quidem arborem quum quidam scriptores propterea Herculi sacram fuisse censeant, quod eam ab inferis avexisset, equidem potius ad folia solis radiis candentia respiciendum esse puto. Neque in eo, quod Herculi tepida lavacra sacra fuisse traditum est, ab Herod. VII, 60. Diod. V, 3 alium latere sensum mihi persuasum est, nisi Herculem solis, quippe qui calorem efficiat, numen fuisse. Itaque etsi in re tam remota certum iudicium exsistere non potest, tamen veri simile esse puto, quod postea sibi sumpserunt Sol at-

que Apollo lucis atque caloris imperium, eius Herculem initio participem fuisse. Accedit quod expressis verbis Herculi a Graecis deo immolatum esse nobis traditum sit. Narrat enim Herodotus, Graecos partim Herculi ut deo eiusdem dignitatis atque Olympii sacra facere, partim ut heroi inferias afferre. II, 44. Haec attuli, ut quam per Herculem Geryonis boves et Hesperidum mala avehentem significari puto verni solis notionem, eam quantum in me est probem.

Quare nunc nobis agendum erit de secunda quam statuimus in Herculis cultu aetate. Jure quis quaerat, quid sit, cur Hercules, quum solis, lunae, siderum cultus sit antiquissimus atque ab omnibus fere populis usque ad ultima antiquitatis tempora observatus, dei dignitatem tam celeriter amiserit ut de Hercule heroe paene innumerabilia, de Hercule deo perpauca a scriptoribus nobis tradita sint. Quae quum ita sint, quae tempore ab omni historiae fide remoto facta esse videntur quo in lucem proferantur, sola mente ac ratiocinatione adhibita agendum est. Neque vero dicere coner a me certa esse inventa; quae lectis nobilissimorum in hoc genere scriptorum libris probabilia mihi visa sunt, ea afferenda esse magis existimo timore quam fiducia. Tribus maxime caussis mihi videtur factum esse ut Hercules e dei condicione qua usus est apud Pelasgos, ad herois statum delaberetur, motis singulorum populorum sedibus, propagato Apollinis cultu, aucto Graecorum cum Aegyptiis ac Phoenicibus commercio, cuius rei argumenta ex ipsa fabula petenda esse puto. Non dubium est quin populi, quum alienas gentes sibi subiecissent, suorum deorum cultum per terras a se occupatas pervulgaverint. Itaque quum ne victarum quidem gentium dii negligerentur, factum esse videtur, ut dignitate diis gentis victricis concessa in heroum quasi condicionem delaberentur. Quare dii quoque inter se pugnasse videbantur, quum utraque et victa et victrix gens suorum se deorum auxilio fretas rem

gessisse confiderent. Nam ut utar exemplo, quum Atticae prisci incolae qui agro colendo victum quaerebant, ut Ionibus, nautis clarissimis, sedes concederent, cogerentur, eius rei memoria ita servata est, ut Minerva cum Neptuno de principatu concertasse atque illa oleastrum hic equum creasse traderetur. Helenam quoque atque Dioscuros qui pristinis Laconicae incolis dii erant lunae atque siderum, quum populorum migrationibus civitates everterentur atque novae conderentur, heroes factos esse consentaneum est. Atque eandem sortem Herculem tulisse, eius rei vestigia in eo deprehendi puto, quod ab eo Plutonem, Junonem telis petitos esse Homerus l. c., Solem Panyasis narrat. Eodem pertinere existimo bella, quae Herculem in Graecia gessisse Homerus narrat.

Maioris momenti miram inter Herculis et Apollinis, ut a poetis describuntur, imagines similitudinem esse puto. Nam ut Hercules, ita Apollo, quem lucis deum fuisse manifestum est, sagittandi arte excellit. Saepe etiam solis sagittae sive *βέλη* ab Homero memorantur, qua re opinio, Herculem non minus Apolline solis deum fuisse mire iuvatur. Ut Hercules hydram Lernaeam, ita Apollo Pythonem serpentem sagittis percussisse memoratur, qua serpentis interfectione ut fluctus sole, tenebras luce victas significari statuam, non solum Creuzeri plurimorumque mythologorum auctoritate, verum etiam considerata ea ratione qua populorum rudis aetas res physicas sermoni mandare solita sit, permoveor. Iam quum fabula Chrysaoris atque Geryonis tractata in Chrysaoris nomine solis respectum latere arbitrati simus, mire nos iuvari existimo eo quod ipse Apollo ab Homero *χρυσάωρ* dictus est. Il. V, 509. Neque solum arcus et sagittae, interfectique serpentes congruunt, verum etiam quod uterque servi condicionem eamque per idem spatium tulit. Narrat enim Apollodorus III. 10, 4 Apollinem quo Cyclopum necem sagittis percussorum lueret, Admeti, Thessaliae regis, servum factum esse atque

in eo servitio octo annos mansisse. Per octo annos et mensem Hercules decem mandatos ab Eurystheo labores perfecisse traditur. Qui quidem octo anni quum eam efficiant periodum qua absoluta tribus mensibus intercalatis anni et solis et lunae cursu effecti congruant, neminem dubitare existimo, quin in utraque fabula solis ac temporis ratio statuenda sit. Quae Herculis cum Apolline similitudo quo magis perspicua sit, huc utriusque ad Hyperboraeos itinera referamus. Nam quum Apollo apud Hyperboraeos, iustos homines, quique eum quam maxime colant, sedes habere atque vere ab iis in Graeciam redire creditus sit, nemo non auctam vere solis vim significari existimabit. Sed ad eosdem Hyperboraeos Hesperides earumqne mala referuntur, teste Apollodoro II, 5, 11, ut, quam in Herculis ad eas itinere suspicati sumus, solis notio novo argumento fulciatur. Sed ne quis iusto longius in comparando cum Hercule Apolline me versari arguat, in ea similitudine vestigia deprehendi existimo, Herculis munera ad Apollinem, quum e Lycia atque Delo Delphos atque ad omnes fere Graeciae populos venisset, transiisse. Eodem referendum esse existimo, quod Apollo cum Hercule de tripode certasse dicatur Paus. X, 13, 4. Itaque quum a Graecis Sol deus crederetur atque fere idem Apollinis numen esset, vel consimile, fieri non potuit, quum Dores atque Iones, quibus Apollinem deum fuisse nobilissimum constat, Graecorum populi principes facti essent, quin Herculis cum sole ratio negligeretur, atque paene ex hominum memoria exstingueretur. Quo factum esse videtur, ut e deo paullatim heros fieret nobilissimus. Iam quae solis sunt officia quum ab hominibus rudibus atque a cultioris vitae humanitate remotis poetico quodam atque allegorico sermone expressa essent, neque postea quam Hercules heros factus est, quae esset eiusmodi narrationum notio intelligeretur, fieri non potuit quin cum ipso Hercule res quoque ab eo gestae mutarentur. Itaque quum sol quotidiana

atque annua itinera facere atque radiis udas belluarum latebras exsiccare videretur, Hercules heros fingebatur is, qui expeditiones faceret in remotas regiones, sagittis monstra perguteret atque terras habitabiles redderet. Quibus rebus factum esse puto, ut nascentem Graecorum humanitatem defendere atque ipsis viam ad exteras nationes praeiisse videretur.

Et eam cum Hercule notionem tertia, quam statuendam putavimus, aetate coniunctam fuisse iis quae post Hesiodum in fabulas recepta esse diximus, satis luculente ostenditur. Nam quum Herculis imago exstitisset ut herois ingentes labores suscipientis atque in terras remotas itinera facientis, fieri non potuit quin Graeci quas crescente populorum consuetudine in alienis terris res miras gestas esse acciperent, Herculi tribuerent. Itaque ubi Tyrium Melkarthum cognoverunt, quo duce Phoenices omnia maria pernavigabant omniaque littora pervestigabant, facile ut illum atque Herculem eundem esse putarent, adducti sunt. Quo factum est ut Gadera insulam eandem atque Erythiam putarent, quaeque Phoenices promontoria navigationis suae finem dicerent, columnas ab Hercule expeditionum monumenta positas esse affirmarent. Eodem referenda est Tartessi memoria in Herculis contra Geryonem profecti fabulam inserta. Phialam autem illam Solis qua Hercules Erythiam transvectus esse creditus est, Heynius quique eum secuti sunt ab Aegyptiis petitam esse recte mihi videntur existimasse. Nam in Graecorum antiquissimis carminibus Sol quadriga, non navigio usus esse fertur. Videtur ea phiala in Herculis fabulam tempore intexta esse quo eius cum sole ratio nondum ex animis evanuerat. In Antaei fabula non rei cuiusdam physicae notionem inesse puto, sed quum Graecorum coloni in Libyam venissent atque aboriginum immanitatem cultioribus ipsorum moribus mitigassent, Herculem quem propugnatorem quasi atque Graecae humanitatis auctorem venerabantur, cum

Antaeo, ferae illius gentis rege, luctatum esse fabulati sunt. Eo mihi valere videtur, quod Pisander, ut supra diximus, alteram Antaei filiam Barcam appellaverit, quod idem nomen inditum est coloniae Graecae prope Cyrenam sitae. Per genitum ab Hercule ex Iphinoa, Antaei uxore, Palaemonem quid significari statuamus nisi Graecas colonias in terra aliena, Libya, natas? Neque aliam Busiridis fabulae rationem esse consentaneum est. Moris enim Aegyptiorum homines immolandi quum primum a Panyaside mentio facta sit, ipsiusque Busiridis a Pherecyde, admodum veri simile esse videtur, fabulam tum natam esse quum Graecis primum facultas data esset cognoscendi eos in ipsorum terra. Neque aliam eius esse notionem existimo nisi in occupata a Graecis inferioris Aegypti parte morem homines immolandi cessisse, sive est mera confictio Graeca sive cum aliqua Aegyptiorum fabula coniuncta. Neque enim abiicienda est eorum opinio, qui Busirim regem Osirim deum fuisse censeant, cuius cultus Herculis venerationi cessisset. Atque Herculis per Italiam, per Siciliam itinere quid significari censeamus, nisi Graecorum navigationes in illas regiones factas, colonias deductas, Herculis cultum eo translatum? Quae singula persequi longum est, quum nulla fere usquam Graeca fuerit colonia in qua Hercules non traditus sit miras res gessisse.
